



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica quarta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

22      Dominica IV. post Epiph. D.

ficiam, monens leprosum : *Vide ; ne-  
mini dixeris.* En! dedit Christus exem-  
plum fugiendi vanam gloriam. Igitur  
detestemur eam : Et id ut eò ardentius,  
& securius.

*Instructio meritoria.*

Assuescamus vel hodie post actiones,  
& opera magis heroica, vel ore, vel  
mente subjungere canticum : *Magnifi-  
cat anima mea Dominum.* Vel : *Bene-  
dicite omnia opera Domini Domino.*  
Sic opera Dei revelare, & confiteri erit  
honorificum.

Dominica IV. post Epiphan.

EXHORTATIUNCULA I.

**M**otus magnus factus est, ait ho-  
diernum Evangelium. Sed ubi?  
*In mari.* Et ego dico : In conscientia  
mala. In hac nulla quies : Consolatio  
nulla. Quem illa inhabitat, amarum  
sui accusatorem portat. Ah! fili! nos  
patiemur?

*In*

*Instructio meritoria.*

Per binum Examen quietemus remor-  
dentem. Assumamus & unam confes-  
sionem extraordinariam, quæ alleviabit  
inquietam conscientiam. Ad modum  
contritionis oremus expansis brachiis  
Psalmum *miserere*. Ah! misereamur  
animæ nostræ!

II.

**N**avigabant Apostoli, & discipuli  
Christi. Et en! *Tempestas facta*  
*est valida*. Sic nec charis suis parcit Je-  
sus, ut sciamus, neminem in hoc mundo  
securum ab adversis. Ergò nec nos ô fili!  
cur tamen adversitatibus dejicimur?

*Instructio meritoria.*

Ut præveniamus tempestatem, dica-  
mus psalmum: *Cum invocarem, exau-*  
*divit me Deus justitiæ meæ*, ex completo-  
rio. Jesus propè est: Respiciamus. Et  
sanè ubi desinit auxilium terrenum, ibi  
adest divinum.

III.

**O** Timidos Christi discipulos! ve-  
hant in navicula sua Dei Filium:  
Et

24      Dominica V. post Epiph. D.

Et sibi timent : *Domine! perimus.* Planè Deo præsente timendum est nihil. Excipio solum peccatum. Hoc timeamus, & Deum diligamus. Hic timor : Hæc dilectio nobis rapiet cœlum.

*Instructio meritoria.*

Ut ostendamus, quanta nobis de præsencia Dei fides, ingredienti cubiculum statim flectamus, & illò Psalmo salutemur : *Venite! exultemus Domino, jubilemus &c.* Deus mecum!

Dominica V. post Epiphaniam.

EXHORTATIUNCULA I.

**C**UM dormirent homines, venit inimicus homo. O infelicem quietem! O multorum malorum seminarium! benè S. Cyprianus : Si diabolus imparatum invenerit militem Christi, si non sollicitum, si non vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Id quoties contigit incuriis nobis? Verùm præviamus.

*Instructio meritoria.*

Labore manuum, & sudore studiorum,